



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibus

De Deo Effectore Creaturarum Omnium. In tres præcipuos Tractatus
distributa. Quorum primus De Angelis

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

XV. Vtrum Angeli quo superiores, eo per species vniuersaliores intelligant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84413)

CAPVT XV.

Virum Angeli quo superiores, eo per species vniuersaliores intelligant.

1. Questio hæc non videtur habere locum in opinione eorum, qui Angelos per species intelligere negant, quia si species non habent, nec magis, nec minus vniuersales illas habebunt. Quamuis autem hoc ita sit, similis questio in ea opinione tractari potest de specie expressa, seu de actu intelligendi, videlicet, an vnus Angelus per vnum actum, verbum, aut speciem expressam plura cognoscat, seu repræsentet, quam alius. Nam quoad hoc eadem est difficultas, præsertim quia infra ostendemus, de specie impressa, & actu in hoc esse cum proportione loquendum. Potius ergo omittendi sunt actores, qui negant absolute species vniuersales in Angelis, nam hi consequenter, & à fortiori negant species & actus magis, vel minus vniuersales, sed quia ex eodem fundamento procedunt, non est, quod cum illis amplius disputemus. Deinde omittendi sunt, qui tantum ponunt in Angelis species à rebus acceptas: nam illi etiam in hoc pares faciunt omnes Angelos, & consequenter non admittunt in eis discrimen in specierum vniuersalitate. Loquor autem de his, qui tantum species acquiritas ponunt: nam si qui ponit acquiritas specierum singularium materialium, & de naturis vniuersalibus ponunt species infusas, si in istis admittant vniuersalitatem in repræsentando plures naturas, consequenter etiam poterunt illis speciebus tribuere vniuersalitatem maiorem, vel minorem pro diversitate perfectionis Angelorum, quibus infunduntur. Tertio prætermittenda est opinio Henrici, qui per contrarium exeremum dixit, omnes Angelos cuncta intelligere per vnã speciem æque vniuersalem, vel potius vniuersalissimam, talis enim est habitus scientialis, quem ille posuit in omnibus Angelis, vt in superioribus vidimus. Veruntamen & sine fundamento ponit talem habitum, vt supra ostensum est, & non minus gratis in illius vniuersalitate omnes Angelos æquales facit, imo etiam contra rationem, vt proxime videbimus.

2. His ergo omnibus omissis, inter eos, qui vniuersales species Angelis tribuunt, nullum Theologum inuenio, qui absolute negauerit, perfectiores Angelos per vniuersaliores species intelligere. Solum Vasquez 2. 1. p. disp. 203. quamuis absolute species neget, tamen ex hypothesi, illis positis, dicit, non posse cum fundamento affirmari, perfectiores Angelos per vniuersaliores species intelligere. Quia etiam si in hoc non possit repugnancia ostendi, vt ipse etiam concedit, non satis hoc est, vt asseramus, ita esse, quia non repugnat, nisi aliqua positua ratione id ostendamus. Hic autem, ait, non solum non possumus ratione certa aliquid de hac varietate vniuersalium specierum affirmare, verum nec probabilis coniectura aliquid determinate iudicare. Fundatur, quia licet ex maiori, & minori perfectione nature angelicæ inferatur maior & minor perfectio in speciebus, non tamen sequitur quod hæc inæqualitas perfectionis in speciebus intentionalibus posita sit in maiori, vel minori vniuersalitate, quia potest illa inæqualitas esse in meliori, & perfectiori modo res easdem repræsentandi. Imo etiam si ista species infundantur à Deo, ait ab eius voluntate pendere, quod magis, vel minus perfectas species diuersis Angelis infuderit, quia cum æquali specie posset perfectior Angelus perfectius intelligere.

3. Sed hic auctor in primis non loquitur consequenter, & ad hominem possumus contra illum argumentari, quia in superiori disputatione dixit, suppositis speciebus, non esse negandas Angelis vniuersales *Suarez de Angelis.*

Species, quia possibiles sunt sine contradictione. Quod si fieri possunt (inquit) id, quod maioris perfectionis est, Angelo denegari non debet, ita vt quo perfectiores Angeli sunt, per pauciores species intelligant. Quibus in verbis expresse affirmat non solum vniuersalitatem specierum, sed etiam in illa varietatem cum proportione ad perfectionem nature angelicæ, esse admittendam, si non repugnet, quæ est communis sententia, vt videbimus: cur ergo grauissimis Theologis tribuit, quod sine probabili coniectura loquuti sunt, vel quomodo ipse affirmare ausus est, quod nec probabilis ratione coniectari posse postea dixit? Deinde supposita non repugnancia talium specierum magis & minus vniuersalium, non solum ratione probabili, sed etiam veluti ex terminis credibilibus statim apparet, species illas iuxta proportionem naturarum angelicarum distribuendas fuisse.

4. Igitur generatim, ac simpliciter loquendo, affirmari potest, & debet, Angelos perfectioris nature, & intellectualis luminis excellentioris per vniuersaliores species intelligere, ac subinde superiores Angelos eandem rerum multitudinem per pauciores species cognoscere. Ita docet D. Thom. dicta q. 55. art. 3. & sequuntur ibi Caietanus, & reliqui fere moderni expostores, Capr. in 2. d. 3. q. 2. art. 1. concl. 8. & art. 3. ad argumenta contra illam, Ferraz. 3. contr. q. 98. in vltimo dubio ad argumenta contra tertiam concl. Agid. in 2. d. 3. 2. p. distincti. qu. 2. artic. 2. dubio 3. & 4. & ibi Argent. q. 2. artic. 4. in vltima eius parte, Malon. disp. 13. sect. 2. & citatur etiam Heræus ibi q. 4. Omnes probant assertionem hanc ex Dionysio c. 12. de celesti Hierarch. cuius verba sunt: Cherubin ordo sapientia celsiori, scientiaq; communicat, qui vero sub illis sunt sanctorum spirituum ordines, & ipsi sapientie, ac scientie participes sunt quidem, particularis tamen pro modo suo, atque inferioris. Vbi docet inferiores Angelos inferiorem habere scientiam, in hoc specialiter, quod particularem illam habent, vt respectu superiorum. Respondet Vasquez, non vocare scientiam particularem, quia sit per species minus vniuersales, quia de his speciebus nec verbum habet Dionysius, sed particularem vocare, quia est de paucioribus rebus: nam inferiores Angeli pauciora sciunt, quam superiores. Et hoc confirmat ex translatione Peronii, qui vltima verba sic verit. Sed tamen eius, quæ pars est ad illos, & quæ inferiorem locum tenet, scientiam enim inferioris Angeli partem scientiæ superioris vocat ex parte obiecti, quia est de rebus paucioribus.

5. At in hoc sensu falsa esset sententia Dionysii: nam loquitur de scientia naturali Angelorum, in qua non est inæqualitas inter Angelos quoad multitudinem rerum scitarum, vt est constans inter omnes Theologos, & ex dictis hæcenus satis constat. Imo etiam de scientia supernaturali, & permanente (vt sic dicam) idem est, quia omnia, quæ habitualiter, ac permanenter supernaturaliter scire oportet, omnibus sanctis Angelis nota sunt, vel in Verbo, vel extra Verbum. Aliqua vero per speciales reuelationes aliqui scire possunt, quæ non sunt nota omnibus, de quibus esse solent speciales illuminationes, vt infra suo loco dicitur. Tamen neq; Dionysius in illo loco de his tractat, neq; in illis semper excedunt superiores Angeli inferiores: nam interdum potest reuelari Angelo inferiori aliquid pertinens ad ministerium eius, quod non omnibus Angelis superioribus reuelatum sit, quia ad eorum opus non pertinebat, vt annunciatio angelica, vel similia. Quod vero ad translationem spectat, cum textum Græcum non habeamus, in primis dicimus, translationem Ambrosii Florentini, quam prius retuli, minoris auctoritatis non esse. Deinde addimus, translationem Peronii eundem sensum admittere, & in illo accipiendam esse, ne falsam sententiam contineat: vel certe si scientia inferioris Angeli dicatur pars scientiæ superioris ex parte rerum cognitarum, intelligendum id est de scientia actuali, quæ



quæ est tota simul, non de habituali, quæ successiue potest varias res contemplari, sic enim comparando scientias actuales, vere dici potest inferior Angelus, cæteris paribus, pauciora actu cognoscere, quam superior, nihilominus tamen in scientia habituali non est inferior in dicto sensu, quia omnia, quæ superior scit, inferior contemplari potest, licet pluribus actibus. Et ita idem sensus redit, siue actualis scientia pars, vel partialis, siue particularior appelletur. Quia vero species per se ad habituales scientiam pertinet, ideo ratione specierum non potest dici particularis scientia inferioris Angeli, nisi quia per species magis particulares habetur. Quod autem dicitur, Dionysium nihil de speciebus docuisse, licet sub eo nomine verum fortasse sit, sub nomine scientiæ, vel radii, ac luminis illas comprehendit. Nec enim negare possumus, quin Dionysius scientiam etiam habituales tribuat Angelis, cum non senserit, omnia, quæ sciunt, semper actu contemplari, ut infra videbimus. Scientia autem habitualis non est sine speciebus, ut dixi. Ac denique si de actu scientiæ angelicæ Dionysius sensit, in inferiori Angelo esse partem, vel particularem respectu superioris, hoc nobis satis est, ut consequenter ad doctrinam eius etiam in speciebus sit ponenda eadem differentia, siue Dionysius de speciebus loquutus fuerit, siue non fuerit, quia species proportionem ad actus seruant.

6.
Dionysii loci alter inducitur.

Allegatur etiam Dionysius in eod. li. c. 15. ubi exponens metaphoricam Angeli representationem sub figura hominis, eamque metaphoram ad singula membra hominis applicans, de dentibus sic inquit: Porro dentes diuisionem indulget sibi perscientis alimentis, ac lentique perfectionem exprimere credimus. Qualibet enim substantia spiritualis, quam ab augustiore perceperit vnicam, & vniuersalem intelligentiam, prouida virtute diuidit, atque multiplicat, dum inferiorem quoque pro captu suo promouet, atque sustulit. Vbi aperte docet, superiores Angelum vnica intelligentia percipere, quam in plures multiplicat in Angelo inferiori, ut ab illo percipi possit, ergo docet, superiores Angelos vniuersaliorum scientiæ habere, ac proinde etiam vniuersaliores species, ut argumentati sumus. At respondet dictus auctor, loqui Dionysium ibi de supernaturali cognitione Angelorum, quam per diuinam reuelationem accipiunt, & de illa docere superiores Angelum plura cognoscere vnicò conceptu, quæ inferior pro captu illius in plures conceptus distribuit. Sed fortasse sine causa limitatur sermo Dionysii: sed demus, loqui Dionysium de supernaturali cognitione, quæ ex diuina reuelatione ad inferiores Angelos per illuminationem superiorum descendit. Inde tamen in primis sumo argumentum ad cognitionem naturalem: nam cognitio supernaturalis infunditur modo naturæ accommodato, quia vnum quodque recipitur ad modum recipientis: sic ergo in reuelatione supernaturali Angelus superior vnicò conceptu plures percipit, quas inferior non nisi pluribus potest commode concipere: profecto magnum argumentum est, connaturalem modum cognoscendi superioris esse simpliciorum, & vniuersaliorum in hoc, quod plura vno actu, ac subinde vno principio proximo, seu vna specie ex natura sua cognoscit. Deinde sumo etiam hinc indicium ad explicandam mentem Dionysii in priori loco, & similibus, ubi cognitionem inferioris Angeli comparatione superioris particularem, vel quasi partem vocat: nam profecto ita loquitur, quia cognitio inferioris magis diuisa est, & quasi in partem distributa respectu perfectioris conceptus superioris Angeli: eodem ergo modo se habent species, quæ conceptibus commensurantur. Et ita potest hæc sententia confirmari ex his, quæ c. 7. de cælesti Hierar. de prima Hierarchia, & excellenti, ac vniuersali modo cognoscendi eius idem Dionysius tradit: item ex his, quæ de anima, & intelligentiæ docet c. 7. de diuin. nominib. ubi animæ naturale esse dicit, per signa inferiora, & diuisiua cognoscere, an-

Prædicti loci euasio, nec fundamentum habet, nec vim illius enervat.

gelicam vero naturam vniuersalium cognoscere, & plura in vnum colligere.

Ratione probatur eadem sententia, supposita priori quod Angeli habeant species vniuersales, & eum proportionem argumentando. Ideo enim gradus angelicæ naturæ vniuersales species habere creditur, quia & illæ species possibiles sunt, & perfectiores, & illa perfectio est facta consentanea excellentiæ angelicæ naturæ in gradu suo, & non est, cur illi denegetur, sed cum eadem proportionem vniuersaliores species possibiles sunt, & perfectiores, quam minus vniuersales, & illa maior perfectio est consentanea maiori excellentiæ Seraphinorum, vel Cherubinorum, v. g. ergo non est, cur illis denegetur respectu inferiorum. Neque enim satis est dicere, sufficienter saluari posse maiorem perfectionem sine maiori vniuersalitate, quia potest esse maior perfectio quasi in remota, sine plurimum rerum presentatione. Si enim hæc euasio admittenda est, profecto nulla vniuersalitas in speciebus angelicis inde probari poterit, sicut per similem obiectionem Scotus intendit. At vero qui vniuersales species admittit, illa euasione non obstantem, profecto, consequenter loquendo, non potest illa vti ad rationem factam euacuandam, cum eadem ratio, & proportio seruetur. Vnde dicendum est, non minus pertinere ad excellentiam intellectualem naturæ, vnicò, ac simplici principio plura concipere, ac penetrare, quam singulari clarius, ac exactius cognoscere. Imo eo ipso quod species vniuersaliorum habeat representationem, requirit lumen altius, & actum etiam superiorem, ac proinde excellentiori modo singulari representationem, ergo perfectior virtus superioris Angeli hunc etiam excessum in vniuersalitate simul cum aliis requirit, nec est, cur illi denegetur.

Et confirmatur, nam Deus, quia est summe intellectus, non solum clarissimum, sed etiam vniuersalissimum, ac simplicissimum cognoscendi modum habet, & Angeli quia in gradu intelligendi Deo proxime accedunt, illas omnes perfectiones intelligendi simul cum vniuersalitate aliquo modo participat, ergo eadem ratione illi Angeli, qui in essentiali perfectione Deo propinquiores sunt, vniuersalitatem, ac simplicitatem cognitionis simul cum aliis proprietatibus perfectæ cognitionis magis participant, ergo etiam habebunt principia cognoscendi, seu species vniuersaliores. Denique inter homines excellentia ingenii non solum in claritate, sed etiam in vniuersalitate aliquo modo commendatur, quia maius acumen intellectus in eo etiam consistit, quia ex vno principio plura cognoscit: & causa excellentior per vnam virtutem plura efficit, & virtus quo excellentior, eo est vniuersalior: cur ergo non idem cum proportionem de speciebus Angelorum superiorum sentiemus? Profecto hæc omnia attente considerata, plus faciunt, quam verisimilem coniecturam.

CAPVT XVI.

Quomodo varietas in specierum vniuersalitate diuersis Angelis conueniat.

IN applicanda regula indefinitè tradita ad superiores & inferiores Angelos magna est inter Doctores difficultas. Prius vero quam illam proponam, suppono, non esse questionem de Angelis tantum numero differentibus, si iuxta nostram sententiã aliqui tales sunt sub omnibus speciebus vltimis Angelorum. Nam inter illos sine dubio nulla est varietas in vniuersalitate specierum, sed omnes Angeli eiusdem speciei vltimæ species habent æquæ vniuersales, vel particulares. Quia vel omnes sunt absolute, & simpliciter æque perfecti, & sic non habet in eis locum vilo modo